

P R Æ F A T I O.

tatis, Antichristum adhuc, tanquã numen, colere. Eripiendi erant isti ex faucibus inferni; si ita Deo videretur. Ad quam rem tantã perspicuitate veritatis eis prelucemus: ut necessario videant, modò aperire oculos voluerint, Pontificem Romanum esse illum Hominem peccati; ad quem si adhærescere perseveraverint, servari nequeant. Indignatio autem exarsit contra Jesuitas. Cùm enim fortè in Riberam inciderẽ, in hanc ipsam sacrosanctam Revelationem cõmentantem: Itãne, inquebam, tollunt animos rursus, Pontificii; ut quem librũ attingere pridem vix quemquam sinebant, ejus plenam tractationem suscipere nunc audeant? An vanum simulacrum id erat; ad cujus conspectum, vel in caliginosã luce, paucis antè annis trepidabant; ut nunc audacter ferant, in idem intueri speculum; & aliud quidvis in eodẽ ostendi magis clamitent, quàm suum Papam? O' nos somnolenti & ignavi, si patimur! Horum igitur coaxationem compescendam aliquantulũ, putabam: operæ precium fore ducens,
osten-